



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1868**

De S. Placidia Virgine Veronæ In Italia Sylloge S. Placidiaë apud  
martyrologos memoria et cultus sacer: fueritne Valentiniani filia? Incerta  
obitus epocha.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)

## DE S. PLACIDIA VIRGINE

VERONÆ IN ITALIA

## SYLLOGE

S. Placidiae apud martyrologos memoria et cultus sacer : fueritne  
Valentiniani filia ? Incerta obitus epocha.FORTE ANNO  
CCCLX.  
S. Placidia,

**S**anctam Placidiam Veronæ, clarissimæ Venetorum in Longobardia sub patriarchatu Aquileiensi civitati, Romanum Mrl. ad hunc diem his verbis adscribit: Veronæ sanctæ Placidiae virginis. Nomen ejus Sancto- rum Fastis, paulo antiquioribus, inscriptum nusquam reperi; ex recentioribus vero martyrologis Maurolycus ac diem xv Octobris, de eadem ita habet: Apud Veronam, sanctæ Placidiae virginis sanctissimæ, Valentiniani imperatoris filiae. Maurolyco consonant, sercato eodem annuntiationis die, Felicius in Martyrologio Italico, Grevenus, et Molanus in Auctariis Usuardinis apud Sollerium pag. 503. Petrus quoque de Natalibus lib. 12 in Catalogo Idibus, seu diei xv Octobris festum S. Placidiae illigat; contra xi Galesinius, Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae, Brautius in Martyrologio Metrico, et Tamayus in Martyrologio Hispanico. Fuerit fortasse olim S. Placidia apud Veronenses Idibus Octobris culta; dein vero v Idus Octobris, quo die festum ejus etiam signatur in Mrl. Romano, Benedicti XIV auctoritate novissime edito.

sacro quidem  
cultu

2 Sacrum S. Placidiae apud Veronenses cultum duo maxime probant monumenta antiqua, tabella nempe marmorea ecclesiae S. Stephani muro affixa, et ordo quidam ecclesiae cathedralis Veronensis, Carpo dictus, in quibus S. Placidia inter Sanctos, Veronæ cultos, numeratur: hunc illustrissimus Scipio Maffei lib. xi Historiae Veronensis col. 343 inter annos 900 et 1200 a quodam Stephano, sacerdote et cantore, compilatum conjicit: illam seculo xi vel xii, aut forte etiam citius confectam suspicatur col. 342. Memoratis porro sanctis episcopis Veronensibus, quorum corporibus ecclesia S. Stephani gloriatur, Simplicio, Petronio, Innocentio, Felice, Saleino, Theodoro, Senatore, Probo, Andronico, Mauro et confessore Mama, mox sequitur hæc de S. Placidia mentio: Atque virginis Christi venerabilis Placidiae. Qui integrum tabulae textum volet, adeat tom. 6 Septembris pag. 24, ubi illum ex Onuphrio Panvino transcriptum inveniet: aut Biancolinum tom. 1 de Ecclesiis Veronensibus pag. 13, ubi ipsamet tabulae, litterarumque formam expressit. Consonat utrobique inscriptio, si Panvini- nam hoc modo, et ceterarum innumerabilium Sanctorum; alteram autem isto, seu et ceterorum innumerabilium Sanctorum et, uti opinor, accuratius terminari, exceperis.

3 Cetera, quæ ad S. Placidiae cultum ac reliquias spectant, in Episcoporum Veronensium antiquis Monumentis, a Raphaele Bagata, et

Baptista Peretto editis, pag. 29 et seq. sic explicantur. S. Placidiae virginis corpus requiescit in ecclesia S. Stephani Veronæ, ut (supple: patet) ex Lectionario antiquo ecclesiae cathedralis, ex Martyrologio dictæ ecclesiae cathedralis, ex lapide marmoreo, de quo supra, ubi de S. Andronico, ex tabula vetusta ex membranis, E de qua ubi de S. Alexandro, ex Francisco Corna, et ex tabula Sanctorum die xi Octobris. Recitatis deinde mox expressis Maurolyci verbis, ita pergunt: In festo S. Placidiae et per Octavam in ecclesia S. Stephani conceditur indulgentia viginti dierum pro criminalibus et de medietate partis venialium, ut ex tabula vetusta ex membranis in sacario S. Stephani, de qua supra. Ejus Vita describitur in Lectionario antiquo ecclesiae cathedralis, sed non tota: quæ completa describitur in libro vetusto ex membranis in ecclesia S. Stephani, et in libro 9, cap. 70 Petri de Natalibus, episcopi Equilini. Quomodo corpus S. Placidiae repositum sit in una eademque arca simul cum corpore S. Simplicii, episcopi Veronensis, quæ servit pro stipite altaris, erecti in honorem S. Simplicii et S. Placidiae, dictum est supra, ubi de Simplicio. Festum S. Placidiae virginis apud ecclesiam Veronensem celebratur sub simplici Officio, ex consuetudine die xi Octobris. Reliquiarum in ecclesia S. Stephani servatarum enumerationem instituit pag. 4 et 5, et S. Placidiam Reginam appellant; de situ vero corporum S. Simplicii et S. Placidiae ita loquuntur: Item a capite arcae S. Placidiae versus sero corpus S. Simplicii, episcopi Veronensis.... Item corpus S. Placidiae in arca ejus. Non ita tamen hæc verba accipienda sunt, ut nusquam alibi illius Virginis reliquiae conservari putentur: nam ex iisdem portiones aliquot servari Veronæ in ecclesiis S. Catharinæ virginis et martyris, S. Martini, S. Michaelis ad Portas, et anno 1550 die 20 Februarii aliquot S. Placidiae ossa ex eorum arca sumpta fuisse per Joannem, ecclesiae S. Stephani archipresbyterum, in Indice reliquiarum in ecclesiis Veronensibus servatarum, iidem auctores tradunt.

4 Quod autem ad Acta S. Placidiae, de quibus supra ab illis facta est mentio, attinet, en illa, uti apud Petrum de Natalibus loco citato sunt exarata. Placidia virgo fuit filia Valentiniani imperatoris et Eudoxiae augustæ, filiae Theodosii Magni. Quæ, spreto seculo, adhæsit avæ suæ Gallæ Placidiae, jejuniis, eleemosynis intenta. De hujus sanctitate cuidam seni revelatum est, quod ejus meritis soror ipsius Placidiae, Honoria nomine, a gravissima

sed, quod Acto  
rjus.

A vissima infirmitate liberata fuisset. Qui et visa Eudoxia, ipsius matri, rettulit. Et ex tunc mater filiam in devotione habere cepit. Cum autem Placidia cum utroque parente et avia Galla Ravennam navigio veniret, gravissima in mari tempestas exorta est. Qui omnes beato Joanni Evangelista pro eorum liberatione voverunt basilicam construendam. Statimque idem beatus Apostolus eisdem apparuit, et tempestate sedata, incolomes ad portum perduxit. Regina ergo Galla ei apud Ravennam ecclesiam fabricavit, in qua sanctus Joannes eidem augustæ et Barbaciano presbytero apparuit, et sandalium suum pro reliquiis illis dimisit, ut supra actum in Gestis Barbaciani pridie Cal. Januarii. Post aliquod autem tempus Placidia Hierosolymam perrexit, ubi lustrans loca sancta biennium exegit. Et deinde per Venetiam Veronam venit, ibique cuidam Drutæ, filiae Orabilis, nobilis matronæ, surdæ et mutæ aurium et lingue facultatem concessit: ubi et in Christo dormivit, sepulta in ecclesia S. Stephani, via Tridentina, Idibus Octobris, signis coruscans.

uti et alia  
quorundam, per-  
peram aiunt.

5 *Plurimâ civitatis Veronensis cum incendiis, direptionibusque, etiam domesticis, tum populorum barbarorum devastationibus momenta perisse, in Præfatione sua laudati scriptores non immerito conqueruntur: sed dolendum pariter est, accidisse sæpenumero, ut posteriorum temporum scriptores, dum resarcire antiqua damna colere, Sanctorum gesta fabulis erroribusque deturparint, atque ad hunc modum damna damnis cumularint.* S. Placidie Acta (si tamen hoc ea nomine compellere liceat) ea labe non fuisse immunia, paucis ostensum imus. Ac primo quidem Eudoxia, S. Placidie mater, quæ hic Theodosii Magni filia fuisse dicitur, non hujus, sed Theodosii Junioris filia fuit, nata an. 422: sic enim habet Marcellinus in Chronico Indictione 5 ad consulatum Honorii XIII, Theodosii vero x: Theodosius imperator Eudoxiam filiam genuit; quo item teste, Theodosius Magnus anno 395 Mediolani ex hac vita decessit. Dein Galla Placidia, cum maris tempestate jactata est, ac templum S. Joanni Apostolo Ravennæ extruendum vocit, comites habuisse C dicitur Valentinianum, uxorem ejus Eudoxiam, et utriusque filiam Placidiam. Obligit ea tempestas Gallæ Placidie, cum Constantino poli, quo a fratre Honorio imperatore ob dissidia missa fuerat, in Italiam rediit anno 425: at Valentinianus, natus anno 419, teste Marcellino, quinquennis tantummodo tunc erat, Eudoxia vero triennis; imo anno dumtaxat 437 Valentinianus Eudoxiam secundum Marcellinum in uxorem ducit, ac proinde Placidia, Valentiniani filia, utpote nondum nata, aviæ suæ itineris comes esse non potuit. Quod de sandalio S. Joannis scribit, res enimvero mira est, nec creditu facilis, quæ discuti uberius poterit, cum de S. Barbatiano, ad quem propius attinet, ad diem 31 Decembris agetur.

Valentiniani  
III

6 Denique S. Placidia, Veronæ culta, neque Valentiniani III filia, quod passim, qui de ea scribunt, affirmant, neque Honorie soror fuit; quandoquidem illa apud Veronenses Virginis titulo gavisa cultaque perpetuo fuerit; Placidiam autem, Valentiniani III filiam, Olybrius consul, ac dein anno 472, licet exiguo temporis spatio, imperatori constet fuisse nuptam ex Evagrio lib. 2 cap. 7, ubi, interprete

Henrico Valesio, ita loquitur: Urbe incensa, et cunctis opibus direptis in Africam (*Geizericus Wandalorum rex*) reversus est, Eudoxiam (*Valentiniani III viduam*) cum duabus filiabus secum abducens. Ex his majorem natu, Eudociam nomine (*quam Honoriam Petrus de Natalibus supra nominat*) Hunerico filio suo (*non Transmundo, ut scribit Panvinius Antiquitatum Veronensium lib. 4 cap. 19*) conjugem dedit. Juniorem vero Placidiam nomine, una cum matre Eudoxia, aliquanto post cum regio cultu ac satellitio Byzantium misit, ut Marcianum imperatorem placaret.... Cæterum Placidia jussu Marciani nupsit Olybrius, qui inter senatores Romanos nobilissimus habebatur, et capta urbe Roma (anno 455) Constantinopolim se receperat. Idem quoque testatur Procopius lib. 1 de bello Vandalico cap. 5 et Cyrillus Schytopolitanus in Vita S. Euthymii abbatis, inter Analecta Græca a monachis Benedictinis congregationis S. Mauri Parisiis anno 1688 edita, pag. 64 Olybrium vocat generum filie Eudocie, Theodosii Junioris viduæ.

7 At vero, inquit nonnulli, sic Olybrius juncta fuit, ut tamen integrum virginitatis decus ilitatumque servavit: habuit, fateor, Placidia, Valentiniani III filia, insigne S. Pulcherie imperatricis, quod ea in re imitari posset, exemplum: at, quo minus id illam reipsa imitam fuisse, credam, obstat Procopius lib. 1 de Bello Persico cap. 8, ubi Areobindi ducis his verbis meminit: Quatuor erant belli imperatores: Areobindus, Olybrius, qui Occidentis imperium paucis ante annis tenuerat, gener, ac tum temporis magister militum per Orientem. Obstat Chronicum Alexandrinum, quod, a Radero editum, pag. 743 ita habet: Olybrius Romam missus a Leone imperatore coactus ibi imperator inauguratur, ducta uxore Placidia illa a barbaris et servitute liberata. Hi extruxerunt D. Euphemie ecclesiam, quam Olybrii dixere. Creavit Olybrius ex Placidia Julianam, conjugem Areobindi, magni illius herois, qui in Perside singulari certamine cum hoste est congressus. Ex quibus natus est Olybrius junior, qui consul signatur in Fastis consularibus apud Petrum Relandum ad annos 491 et 526, in chronico vero Alexandrino Olympiade 317, Indictione XIV, et Olympiade 326, Indictione IV.

E  
imperatoris fi-  
lia

8 Obstat denique Cyrillus Schytopolitanus, qui in Vita S. Sabæ apud Cotelerium tom. 3 Monumentorum ecclesie Græcæ pag. 303 Julianam patriciam, Valentiniani imperatoris neptem vocat: Quæro an ex Eudocia, an ex Placidia? Prolem enim masculam Valentiniano fuisse, nusquam proditum legi. Non ex Eudocia, quæ primum quidem a Maximo tyranno filio suo Palladio uxor data, sed utroque mox interempto, captiva cum matre Eudoxia et sorore Placidia in Africam a Genserico abducta est, ubi illius filio Hunerico in uxorem cessit. Rediit illa quidem sub annum 472, virum Arianum exosa, arrepta clanculum fuga, in Orientis imperium; sed nullis liberis comitata (quantum quidem ex Theophane, Parisiis anno 1655 edito, pag. 102 colligere est) obiitque non diu post. Non ex Honoria supra memorata: hæc enim alia non est ab ea, quæ a Procopio aliisque vocatur Eudocia: de ea quippe ita legitur in Chronico

non fuit:

AUCTOR  
J. B.

nico Alexandrino pag. 741 Honoriam retinuit Genserico filio suo Hunerico desponsam. Reliquum igitur est, ut Juliana patricia ex Placidia Valentiniani filia sit nata; id quod pariter in Diagrammate iv Genealogico Valentiniani I apud Lambecium tom. 2 Bibliothecæ Cæsareæ pag. 585 videre est. Quibus accedit, arduum creditu captique videri, antiquiora ecclesiæ Veronensis monumenta decaplicitate S. Placidie, quam ignorare Veronenses non potuere, nihil plane meminisse; nihil de condito ejus opibus Constantinopoli S. Euphemie templo, Olybrii dicto; nihil de facultate eligendi, quem vellet, episcopum Carthaginensibus catholicis partim ob ejus preces ab Hunerico, teste Victor Vitensi, concessa; quæ sane ad ejus laudes plurimum contulissent; captu, inquam, arduum est, alto hæc fuisse involuta silentio, si nimirum eadem, quæ Placidia, Valentiniani III filia, fuisset. Victoris Vitensis lib. 2. Persecutionis Wandalicæ num. 1 apud Ruinartium hæc verba sunt: Dedit autem (Hunerico) licentiam, B Zenone imperatore atque Placidia, relicta Olybrii, rogantibus, ut Carthaginensis ecclesia sibi, quem vellet, episcopum ordinaret, quæ jam per viginti quatuor annos tali ornamento fuerat destituta.

9 Quisquis ista perpenderit, mecum, ut opinor, statuet, floruisse quidem apud Veronen-

ses seculo v morum sanctimonia S. Placidiam virginem; sed virtutes ejus resque gestas temporum lapsu rerumque vicissitudine fuisse eorum hominum memoria magna ex parte deletas: ipsam vero posterioribus seculis pro Valentiniani III filia haberi ceptam esse ea solum de causa, quod eodem utraque seculo vixerit, idemque nomen habuerit; id quod etiam indicare videtur Scipio Maffeus lib. xi Hist. Veronensis col. 345 scribens, S. Placidiam, Valentiniani filiam olim creditam ob nominis congruentiam. Quo anno in vivis esse desierit, dicendo non sum: signavi tamen annum 460, Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiae, et Castellanum in Martyrologio universali nimirum secutus; etsi, si S. Placidia Valentiniani III, ut Ferrarius credidit, filia fuerit, eam ad annum ut minimum circiter 481, quo Eugenius Carthaginensis episcopus est ordinatus vitam produxisset, ex Victore Vitensi mox laudato sit certum. Obiisse S. Placidiam anno 495 La Hier in Menologio SS. Virginum scribit: at, cum nullum dicti sui testem proferat, ex conjectura id abs illo factum arbitror. Nihil plus certi de die, quo ex hac vita ad beatam transiit, dixerit; his, ut supra dictum est, ad diem Octobris xi, aliis ad xv ejus mentionem faciuntibus, et Francisco Tinto, sed pariter absque vade ac teste, eam die 2 Octobris mortales ecessisse ecurias, affirmante.

neque sat certus est, quo obiit aut annus, aut dies.

## DE S. EUPILIO EP. CONF.

COMI IN ITALIA

C. B.

SYLLOGE

## E Martyrologiis ac præcipue a Comensibus Annalibus.

ANNO CIRCI-  
TER  
DXXXVII.  
S. Eupilius,  
qui Comi, con-  
tra ac Ferrar-  
ius hic insi-  
nuare videtur,

I nter Comensis seu Novocomensis ecclesiæ episcopos, quorum jam plures sanctitate illustres in Opus nostrum intulimus, ab Ughe-  
llo Italia sacrae tom. 5 nonus ordine numeratur S. Eupilius seu, ut etiam vocatus invenitur, Euplius. Hunc hodie sequenti isthoc elogio, Eupilius episcopus Comensis ix. S. Eutychio successit in episcopatu. Is Germanus natione ex Ultra-  
jectensi urbe originem duxit. Qui in Italiam veniens, cum vitæ probitate, doctrina et moribus excelleret, S. Eutychio meruit in ecclesia Comensi subrogari. Quam ecclesiam sic pie administravit, ut non sine Sanctitatis opinione decesserit v idus Octobris. Cujus corpus in æde S. Abundii conditum est, Ferrarius in Sanctorum Italiae, quem anno 1613 typis vulgavit, Catalogo exornat; verum elogio mox subjungit Annotationem, sequentibus hisce de Sancto nostro verbis conceptam: Post annum Domini v vixisse ecclesiæque Comensi præfuisse ex conjecturis videtur, qui non multis abhinc annis in tabulas referri ac in ecclesia Comensi celebrari cepit. Ad hæc Comensibus episcopis, de quibus, licet inter Sanctos habiti sint, ecclesia Comensis, ut ait, nullum recitat Officium, idem Ferrarius in nova sua in Martyrologium Ro-

manum Topographia, anno 1609 excusa, S. Eupilium accenset; hinc autem, an ante celeberrima Urbani VIII decreta, quibus ne servis Dei, Sanctorum aut Beatorum albo ab Ecclesia nondum adscriptis, nec cultu ecclesiastico centum amplius annis ante annum 1634 affectis, honores Sanctis proprii deferantur, est cautum, cultu ecclesiastico Comi a tempore, centum amplius annis dictum annum 1634 prægresso, Eupilius, qui nullis Fastis sacris antiquis inscribitur, fuerit gavisus ac proin in Opere nostro locum jure sibi vindicet, initio dubitavi.

2 Verum hanc dubitationem mihi ademit Primus Aloysius Tattus Novocomensis, congregationis Somaechæ theologus ac sacri officii consultor. Hic enim in Novocomensi suo, quod anno 1675 edidit, Martyrologio S. Eupilium hodie his verbis celebrat, Novocomi S. Eupilii episcopi et confessoris ad aram propriam in ecclesia D. Abundii; qui Novocomum adveniens, cum vitæ probitate, doctrina et moribus excelleret, S. Eutychio meruit subrogari; ecclesiæ autem Comensi tanta religione præfuit sub ærumnoso Gothorum imperio, ut ex hac vita decedens cooptari inter cælestes

a tempore in-  
memorabili, ut  
Sanctus,